



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conversio Peccatoris, Seu Modus quo Peccator communiter resurgit ad justitiam.

Lefelon, Antoine

Bruxellis, 1675

Vtrum Scripturae quas profert Appendix, isti fidei probandae sufficient?

urn:nbn:de:hbz:466:1-9433

CAPUT II.

Utrum Scripturae quas profert Appendix, isti fidei probandae sufficiant?

DUplex profert Appendix Christi testimonium quo nixus rectè se putat huiusmodi fidem asserere; duplex item ponit *num. 241.* unum è Proverbiis, alterum ex Apocalypsi. Hæc nunc quantum probandæ isti fidei faciant, inquiramus. Itaque à posteriori quod Appendici est primum, exordiamur.

Scriptura, ait, docet Deum suam gratiam semper offerre peccatoribus, & quod ipsos continuò vocet, & invitet ad penitentiam, imò stet sine cessatione ad ostium cordis ipsorum, & pulsans: Ego sto ad ostium, & pulso, tantum debent aperire per consensum liberi arbitrii, ut gratiam conversionis accipiant.

Imprimis has particulas, *semper, continuò*, quibus omnis argumenti ejus vis innititur, nusquam in Scriptura ad præsens propositum, hic Auctor invenit; nusquam dictum est: *Ego sine cessatione sto ad ostium & pulso.*

Deinde qualiter quæ hîc dicit intelligat, ignoro, Erit fortassis qui hæc ita accipienda

cipienda judicabit, quòd ad omnium corda Deus cum auxilio gratiæ suæ incessanter stet paratus, quem innatâ arbitrii sui virtute volendo atque ita cor aperiendo, quis intromittit, ejusque gratiam consequitur. Ast hoc non est Catholicum dogma, sed ut notat Bellarminus, Cas-
 fiani & Fausti reprobandus error, quem communiter Semipelagianis tribuit sanctus Prosper, ipsis dicens:

Tom. 4. contro-
 trov. 3. lib.
 2. cap. 1.
 & 6.

*Gratia quâ Christi populus sumus, hoc cohibetur
 Limite vobiscum, & formam hanc adscribitis illi:
 Ut cunctos vocet illa quidem, invitetque: nec ullum
 Præteriens, studeat communem adferre salutem
 Omnibus, & totum peccato absolvere mundum:
 Sed proprio quemque arbitrio parere vocanti,
 Iudicioque suo motâ se extendere mente
 Ad lucem oblatam, quæ se non substrahat ulli,
 Sed cupidos recti juvet, illustretque volentes*

Carm. de in-
 grat. c. 10.

Ab isto eorum errore ut liberi simus, inconcussè tenendum est, non ita ad omnium corda Deum stare, & pulsare, ut expectet, qui aperire ipsumque intromittere velit, cui gratiæ suæ auxilium largiatur: sed ipse potius miserendo prævenit nos, & ut ei aperire velimus, gratiæ suæ dono infundit, qui aperuit cor Ly-
 diæ intendere his quæ dicebantur à Paulo.

Acto. 16.
 v. 14.